

*Rebus Fidei*, hoc est, ad salutem creditu necessariis, *dirimi judicarique debere à Scripturâ*, hoc est, *Scripturæ verò sensu*; nec etiam aliò sensu à Chamierô librô primô demonstratam putamus. *Minorem* verò negamus, puta *Scripturæ*, hoc est, vocabulorum, phrasium, &c. *Scripturæ Interpretationem* esse *quandam controversiam de Rebus Fidei*, intellige, strictè dictis. Neque enim aut *Scripturæ* voces phrasesque, &c. aut earum *Interpretatio*, ut per se patet, aut articulus Fidei, aut de eâ *controversia* est; Nec ulli, quod sciam cō nomine venit, aut etiam venire potest. Etenim, ut in confessio est, omnia Fidei dogmata, quæ Christiano ad salutem scitu necessaria sunt, ex genuinô legitimôque solius *Scripturæ* sensu peti debent; At hunc *Interpretatio*, cùm per illam cognoscatur, præcedit, ergo etiam illa dogmata; ac propterea etiam inter illa nequaquam recenseri poterit. Deinde etiam circulus committetur: Ex verò enim *Scripturæ* sensu, & Fidei articuli hauriuntur, & circa eas *Controversiæ* deciduntur, ac dirimuntur, at sensus iste ex verborum *Interpretatione* est: si igitur hæc esset aut Fidei articulus aut de eō *controversia*, deberet etiam hauriri aut dirimi ex verò *Scripturæ* sensu, qui ex verborum *interpretatione* cùm sit, verborum *interpretatio* ex se ipsâ hauriretur, aut dirimireretur, quò quid absurdius? Quod verò præterea *Minoris probationem* attinet, ea nulla est. Quamquam enim qui genuinum hujus effati, *Hoc est corpus meum*, ostenderit demonstraveritque sensum, etiam inde coutroversiam, quomodo scilicet *Christi corpus in S. Eucharistia accipiendum* sit, dirimere poterit atque dijudicare, non tamen ideò *Scripturæ* *interpretatio* est *controversia de rebus Fidei*. Distinguendæ enim sunt duæ hæ quæstiones, quomodo Christi corpus in S. Cœnâ assumi debeat, & quò sensu propositio hæc, *Hoc est corpus meum*, interpretanda sit: illa est, si quid creditu ad salutem necessarium in se contineat, ex verò *Scripturæ* sensu determinanda; hæc verò nequaquam est *controversia de rebus Fidei* strictè dictis. Atque adeò malè infert Chamierus, *rationem dijudicandarum controversiarum de rebus Fidei* strictè dictis, ostendere confirmareque verum legitimumque sensum verborum *Scripturæ*: cùm contrà *verus legitimusque sensus verborum* *Scripturæ* sit unica norma, ac *ratio dijudicandarum controversiarum de rebus Fidei*.

Secundum, *Si Scriptura est authentica, & perfecta, & perspicua: Ergo est optima certissimaque interpres sui. At prius verum: Ergo & posterius. Ita rursus argumentatur Chamierus loc. citat. §. 3. Et fere cum eō Whitakerus Disputat. de Scripturâ S. controv. I. quæst. 5. cap. 8. argum. 19. Antecedentis partes demonstratas sibi esse dicit totidem integris controversiis: Consequentiā verò per se manifestam. Enim verò, si perfecta est Scriptura, necesse est in eā contineri, quæcunque ad fidem pertinent. At quæcunque necessaria sunt ad*

L 2

ejus